



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1431. usque ad annum 1441

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118316

§. 45. Papæ consilium de eligendo Græcorum Patriarcha.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66426](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66426)

§. XLIV.

Sæcul. XV.

A.C.1439.

Imperatoris petiitum de puniendo Marco Ephesino.

Marcus Ephesinus hac citationis sententia velut fulmine ictus, ac exauctorationis suæ pœnam veritus, Imperatori supplex, ac lacrimis perfusus accidit, rogans, ut sibi induciæ concederentur, atque ætatis suæ decrepitæ ratio haberetur, nec Cæsar famam, sui que nominis honorem publicæ ignominia exponi pateretur, præcipue coram universo Latinorum coetu, qui sibi insolentius illuderent, si adeo probrose palinodiam canere cogeretur. Imperator alienæ miseriæ compati fuetus, Marci fletibus se vinctus passus est, rogavitque Episcopos, ut ejusdem verecundiæ parcerent, de cetero certi sint, se simul ac Constantinopolin redierit, auctorem fore, ut cum reliquis & ipse Marcus unionis decretum manu sua firmare compellatur. Verum dicta non probavit eventus.

§. XLV.

Papæ consilium de eligendo Græcorum Patriarcha.

Pontifex ardentius præ ceteris Græcos stimulabat, ut antequam discederent, in locum Josephi fati functi, quemcunque vellent, Constantinopolis Patriarcham eligerent, quem ipse confirmare, atque

Secul. XV. A.C. 1439. atque ad Patriarchalem sedem suam redeuntem largo ac liberali viatico intrare vellet. Spondebat etiam, se illius, qui ex Latinis hucusque hujus Patriarchatus titulum habuisset, nomen, dignitatemque abrogaturum, adeo, ut deinceps nonnisi unicus esset, qui ejusmodi fruetur prærogativa.

§. XLVI.

Græcorum repulsa.

Constanter autem Imperator, ceterique Græci consentire renuebant, caventi, quod moris apud ipsos esset, Patriarcham Constantinopoli eligi, & juxta Ecclesiæ suæ consuetudinem consecrari. Nilominus Græci ultro Pontificis nomen quamvis minime ab eo rogati essent, in dyptichis inseri jusserunt, saltem hæc parte quodammodo Papam sibi devinctis

§. XLVII.

Græcorum preces Pontifici factæ pro Ecclesiis sibi restituendis.

Idem rogarunt Papam, ut Ecclesias eorum Imperio ac potestati obnoxias, quas in Creta, Corcyra, aliisque Insulis sitas Latinorum Archiepiscopi sibi vendicaverant, ipsis restitueret, atque Latinis Præsulibus, qui hisce Ecclesiis præessent, de aliis præbendis provideret, ne Græcæ suæ nationis Viros illis præficere impedi-